~~Medyc. 56.~~

JN NOMINE DOMINI AMEN

DISSERTATIO MEDICA De VARIOLIS.

Tum de præsidiis huc facientibus; remedio Rusticano & Jnoculatione

quam

Authoritate & Consensu

Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini Domini

M. ANTONII ZOŁĘDZIOWSKI

J. U. & Sæ Theologiæ Doctoris ejusdemque Professoris, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonici, Vieliciensis Præpositi, Almæ Universitatis Cracoviensis Dignissimi Rectoris.

necnon

Clarissimi ac Doctissimi Viri

M. JOANNIS CAMELIN

Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris, Ejusdemq; Facultatis Decani

Pro loco inter CC. DD. Medicinæ Doctores obtinendo

M. ANDREAS BADURSKI in Alma Universitate Crac. Collega Minor. Philosophiæ; in Celeberr. Bononiensi Medicinæ Doctor.

Exposuit

Annô Domini 1770.

CRACOVIÆ

In Typhographia Seminarii Academici.

JLLUSTRISSIMO & REVEREN-
DISSIMO DOMINO
D. DOMINICO IOSEPHO
in Kiełczew
KIEŁCZEWSKI
DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO Hermopolitano, SUF-
FRAGANEO Chełmenſi, Eccle-
ſiarum; Cathedralis Cracovien-
ſis CANONICO, Collegiatarum:
Łovicienſis, Kielcenſis; & Oſvie-
cimenſis PRÆPOSITO, MECÆ-
NATI AMPLISSIMO.

QUantum gaudii & oblectationis, quantum honoris felicitatisq́; ex ampliſsima ſorte hodie

 u-

uberrimè in me profluente obvenisse mihi sentio, quòd levidense hoc erga commune bonum studiorum meorum argumentum, sub auspicatissimo ILLUSTRISSIMI & SAPIENTISSIMI PRÆSULIS Nomine in lucem prodeat? id quidem ingenuè testari, nequaquam verò plené explicare possum.

Equidem, solenne est, & antiquo usu receptum, ut ij, qui aliquid ad incrementum utilitatis Civium scribunt, id non modò publicîs characteribûs firmari & exornari curent, sed etiam benè meritos de Patria, de Literis, deqúe universali hominum existimatione Patronos & Mecœnates quærant: Sic enim lucubrationes, quas

scriptas

ſcriptas unus duntaxat excepiſset angulus; relaxatæ & quodammodo diſseminatæ in communes uſus abeunt, & officiorum erga affectos ſibi aperta teſtificatio redditur, & argumento rei pertractandæ à Doctiſſimi Nominis *acceſsione pondus adjicitur, & Literæ majori plauſu excipiuntur: Jd niſi utrumque mihi obveniſset, & primævum hunc ſtudiorum Medicinæ fœtum expirare brevì vidiſsem, & devinctiſsimi mei animi, obſequiorum, reverentiæque ſignificationi, & patrocinio Opellæ meæ omnino defuiſsem*

Verum enim verò ſuperavit exſpectationem meam, ſuperavit ſummam in Literas affectionem incomparabilis illa in excipiendis ſup-

pli-

plicibus votis meis JLLUSTRISSIMI VIRI benevolentia; ut hæc ipsa benignitas majorem Literarum Amorem in me excitáverit, studia majora commendaverit.

Fatear necesse tenuissimam hanc esse Opellam, rudem & inconcinnam, dignitati NOMINIS, magnitudini doctrinæ imparem omnino & inæqualem; sed vel ideo etiam quia SAPIENTISSIMO PRÆSULI dicatur, plura sibi, quam deberet, majora & feliciora promittit atque exspectat, sciens aliàs illud consilij Sapientibus Viris inesse, magna collaudare, minora neutiquam despicere: Etsi tenuis est, non omnino tamen inutilis, si & argumentum

rei,

rei, & Clariſſimorum Authorum ſenſus in ea reſpiciantur.

Ego verò ſi tantâ benevolentia Diſſertatiunculam hanc excipiſciam, quanta me nullîs meritorum officîjs apud OPTIMUM Præſulem *commendatum, proſequi & video & gaudeo; ſat ſuperque tenello operi acceſſiſſe, satis mihi aggratulandum eſſe persvadebo*

Qvodſi de eo áliqvid in publicam utilitatem redundarit, omne id MECÆNATI meo AMPLISSIMO referendum eſſe testabor, precaborqve D. T. O. M. ut JLLUSTRISSIMUM VIRUM ad Literarum tutelám et incrementum in integerr ima Salute conservet, concedatqvé Saluberrimæ Arti mee tantúm providen-

tiæ-

tiæ, ut MECÆNATEM meum si non Jmmortalem, saltem intempestivo fatô superiorem faciat. Jta vovet

JLLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI
DOMINI MECÆNATIS
AMPLISSIMI.

humillimus servus
M. Andreas Badurski *Ph. & Med. Dr*

D. O. M.

DISSERTATIO
MEDICA
De VARIOLIS.

Cui accesserunt nonnulla de duobus plebeis noviter introductis præsidiis, ad faciliorem Variolarum pertractationem facientibus.

Diu cogitaveram *AA.* quidnam ex tam amplissimo Medicinæ fonte, inter tot, tamquè varia seligendum esset, quod exornando hodierno actui par, quod vestra expectatione dignum, quod publicæ hominum utilitati suffragatio foret. Si enim quando, hodie certè bene merendi de Literis, & integerrimæ saluti Civium prospiciendi libertas atquè facultas est; & hac plerumquè occasione vel gravibus morbis consulitur, vel si qui novi apparuerint, causa & au-

xilia quæruntur. Cùm verò per Omnipotentis DEI gratiā Urbs hæc ab omni morbi alicujus influxu libera ſit, nec occurrat aliquid in praxi, quod peculiarem ſui attentionem mereatur, impulit me tandem neceſsitas, ut illum morbum hodie pàce Veſtra pertractarem, qui & Univerſalis eſt, & periculoſiſsimus, & pro cujus feliciori curatione plurima nova acceſserunt.

Et jam credo Vos intelligere *AA.* me de Variolis loqui velle: ſi enim peſtem, nudam illam graviſſimamque Altiſsimi pœnam excipiamus; nullus morbus generi humano inimicus adeo, adeo ſeverus eſt, quàm Variolæ, ut proinde, quantum cladis inferat, tantùm præſidii pro edomando illo quæratur, neceſse. Porro; quidquid ad rigoroſum rei hujus ſummè perneceſsariæ examen pertinet, ſelectiſsimorum & recentiſsimorum Authorum ſenſus in medium adducam, inventa & obſervationes proferam, ut una facie, quæ hic & illic ſparſa ſunt, videatis; & ſi non ſtudia & labores, ſaltem conamina mea accepta Vobis habeatis.

Parùm verò refert hoc loci immorari

morari

morari in antiqua pertractatione morbi hujus; hunc alii frigidîs, alii calidîs remediîs & regimine aggresſi ſunt: minus intereſt cum obſtinatione quærere novus ne ſit morbus? vel antiquis cognitus? hucusquè bellum Literariũ in Scholis obſtrepit; ſunt qui antiquissimum, (a) perplures, qui novum eſse contendunt, nec dum inter eos conventum, necdum definitum eſt. Illud certè veriſsimum Variolas eſse morbum Univerſalem, febrilem, acutum, inflammatorium; nunc benignum, nunc malignum; nunc diſcretum, nunc confluentem, frequentia curricula abſolventem, pro varia àëris conſtitutione, pro varia ægrorum temperatione varium & diverſo modo ludentem.

Cùm verò ex una parte adeò Universalis ſit, ut nulli hominum parcat; ex altera, nunquam ſemel affectum denuo in vadat, vel ſi quando parcat, vel ſi iterum repetat id novus & inauditus, (b) naturæ ſit eventus; hinc venit ut cauſã ejus tam Veteres quàm Recentiores nonnulli ab utero Materno derivari non dubitaverint; quò etiam illud facit, quod præterquam omnibus morbus

 com-

(a) Hahnius de Antiq: Var. (b) Williſius.

communis ſit, hominesque omnis ſexus, omnis ætatis, omnis vitæ generi aggrediatur, infantes tamen præprimis, & inter illos maximè, qui ortu ſuo ſunt propiores.

Verum enimverò: cauſam hanc præterea quæ Cl. Fiſcherus. (c) in contrarium adducit, utut probabilis eſse videatur, & à graviſsimis Medicinæ Scriptoribus in medium proferatur, pluribus difficultatibus involutam eſse, nec ſatis rem explicare, niſ me mea fallat opinio, omnino video. Equidem ſive vetus ſive novus ſit morbus: quænã mali hujus origo? quæ cauſa? Dicent peculiarem humorum diſpoſitionem ad materiam morbificã form Variolarum ad ſuperficiem corporis deferendam (ignotum eſt: ſuppoſitum eſt: nec ultro ſcrutari facilè eſt:) genitam fuiſse in uno, propagatam in plures, & in ſemine hæreditario quodam jure à Matre in fœtum communicari. Age verò, ſi morbus ſemel tantùm affligit, nec repetit: (quod etiam inoculatio in iis inſtituta, qui Variolas naturales paſsi ſunt, ſatis probat;) ſi materia morbum faciens con-

cocta

(c) *Præfat. ad Rem. Ruſtican.*

cocta ad superficiem corporis tota quanta defertur: si morbus perfectè solvitur: & quidquid in humoribus peregrini & ad fovendum morbum facientis fuit educitur & consumitur: si rudimentum excrescit; si nihil de semine remanet: si nemo dat, quod non habet? quomodo Mater Variolas passa, semen Variolosum fœtui communicare potest? hæc breviter, nunc ad institutum redeo.

Morbus Variolarum plerumquè est Epidemicus, plures videlicet ejusdē regionis simul invadens, contagiosus, tertio, quarto, quinto vel sexto annô iterum se restituens.

Accidentia seu Symptomata morbi diversa sunt, prout vel discretæ, vel confluentes: vel benignæ, vel malignæ Variolæ fuerint. Levia quidem si morbus benignus & discretus, (quam etsi & discretum genus aliquando malignitatem conjunctam habeat;) gravia verò si de confluentium genere sit, aut malignus, quod plerũque occurrit.

Discretum genus differt à confluente, numerô pustularum. Primum enim pustulas habet paucas, paucita-

tem

tem verò non à toto trunco, ſed à facie præſertim deſumendam eſse notat Immortalis Sydbenamius. Secundum contrario puſtulis dives eſt vel invicem ſe tangentibûs quæ cohærentes vel ſibi mutuo implexis & ſuperaggeſtis, quæ confluentes audiunt. Sed de his plura infra dicentur.

Porro difficilè eſt illico ac primùm aliquis ægrotare incipit morbum Varioloſum definire. Triſtis enim (d) & non unius generis prodromorum cohors imminentis mali irruptionem prænuniiat. Interim ſi plura ex infra recenſendis concurrant, ſi Conſtitutio EpidemicaVariolis faveat, ſi quis cum Varioloſis ejusdem domus ſit, eosque conveniat faciliùs judicium de illis ferri poteſt.

Quadruplex communiter varioloſi morbi ſtadium diſtingvitur, primum Contagii, ſecundum eruptionis, tertium maturationis, quartum desquammationis. Et hinc pro vario mor morbi gradu, variant ſymptomata.

Signa morbi hujus & omnes mutationes optimè notavit *Sydbenamius*; rectam quam ipſa natura efflagitare videtur, curationem præſcripſit, ut vix

(d) *Francus de Franckenau l. c. §. IV.*

aliquid deeſse videatur; niſi quod à regulis generalibus deflectendum ſit aliquando; cùm ob diverſam ægrorum temperationem, tum ob peculiarem Epidemiæ conſtitutionem. *Mortonus. Boheravius. Hoffmannus Huxamius. Tiſſotius, Haénius. Fiſcherus.* utiliſsimis obſervationibus materiam hanc ampliârunt, & ſi non omnibus numeris abſolutam, longè tamen perfectiorem fecerunt.

Contagio ſuſceptô in primo videlicet ſtadio quod etiam *apparatûs* nonnulli vocant, homo ægrotare videtur, langveſcit appetitus, ſentitur alterna caloris & frigoris moleſtia & alii prodromi, morbi futuri leviter comparent. In infantibus phlegmaticis *Tiſſotius*, (e) ſe obſervâſse teſtatur levem ſangvinis exagitationem ante febrile frigus, tum vivacitatem quandam & faciei colorem antea viſum nunquam. Colicîs doloribus corripi plurimos vidit *Huxamius.* (f) qui niſi eruptione aut clyſtere, cui mite anodynum injectum fuiſset liberabantur. Ingruit deinde frigus, horror, aut

(e) *Capitul.* 13. §. 204. (f) *in quadam conſt. Variol. anomal. leg. fol.* 232.

aut rigor, quæ ad aliquot horas producuntur, mox ſequitur febris cum pulſu celeri & inæquali, vel rapido tenſo & pleno; dolore capitis, lumborum ac dorſi; oculorum calore, rubore, ac lacrymatione; anxietate ad præcordia; lingua impura vel aridá; non nunquam torpore; propenſione ad ſudores in adultis; ſomnolentia, Epilepſia in infantibus. Quod poſtremũ non mali ominis cenſendum eſse docent *AA.* ſi abſint gravia ſymptomata; Familiaris hæc infantibus 5 vel 6. annorum (g) obeſioribusqué. (h)

Poſt febris acceſſionem *ſtadium eruptionis* conſequitur; 3tio ut plurimum die à primo morbi ingreſsu, ante illum aliquando, vix unquam poſt illum ſi *confluentes*: 4to die, vix ante, raro tardiùs ſi diſcretæ, obſervante *Celeber: Sydhen:* conſpiciuntur puſtulæ rubræ, morſibus pulicum ſimiles, in medio punctum album ferentes aliquantulum elevatũ, primùm quidẽ in facie, collo; hinc in pectore, artubus & toto corpore, quæ ſenſim 2, aut 3. dierum ſpatiô in majora tubercula aſsurgunt Varis ſimilia; unde etiam Variolæ audiunt.

Puſtu-

(g) *Typotius* §. 208, (h) *Fiſcherus fol.* 83.

Puſtulîs apparentibûs prima febris remittit, at iîs auctis & ad inflammationem vergentibûs tota cutis & facies potiſsimum inflatur ac tenditur, quã aliàs primo puſtulæ occupârunt. Palpebræ aliquando cóaleſcunt, lingva fit ſcabra tonſillæ tument, læditur deglutitio ob Variolas in lingva, faucibus (i) & Eſophago nonnunquam erumpentes, potiùs verò ob inflammatas partes illas: (k) cùm dolor faucium ſæpiùs etiam ante eruptionem obſervetur; anxietas, diſpnæa & vigiliæ urgent; in infantibus diarhœa, in adultis ptyaliſmus, confluentium confectarium. — Tunc ferme puſtulæ paulatim incipiunt albeſcere, quæ antea ſubrubræ erant, & icor tenuis quô replentur, aut in pus craſsius, aut in ſanioſum liquorem convertitur.

Stadium hoc *tertium Maturationis* apellatur, in quo febris ſecundaria dicta præſertim in confluentibus noviter accenditur, partim ob irritationem puſtularum ad ſuppurationem vergentium, partim à varioloſi icoris in ſangvinem reſorbitione.

Sequi-

i) *MM. SS. Cl. Cannuti* (k) *Tiſsot.* §. 207.

Sequitur tandem *quartum Variolarum stadium* quando 5. aut 6. die à Variolarum eruptione, & 9. 10. aut 11. à primo morbi ingreſsu puſtulæ ſuppuratæ rumpuntur, & pus, ſanies aut icor ffluit, interim puſtulæ deprimuntur, ſubflavæ fiunt, in cruſtas abeunt, exſiccatæque decidunt, quod vulgus *desquammationem* apellat, & ad diem 14. plerumqué protenditur.

Utinam veró ſemper ejus notæ comparerent, & ita ordinatum curriculum abſolverent. sed mutant ſcænam, & Medicum & Adſtantes de ſummo periculo monent, ubi pallidæ, crudæ, & ſeſsiles, nequé bene projectæ, nec probè matureſcentes, ſed depreſsæ & flaccidæ manent, vel in magnas veſicas confluunt icore plenas, ſicqué ad finem ipſum perdurantes plerumque lethales.

Variolas mali moris præſagiunt, ægroti languidi & debiles, ſæpiùs & diu animô demiſsi: ubi febris lenta, ſpiritus abjecti, pulſus debilis, celer & tremulus, os pallidum, urina cruda & tenuis, nulla ſitis magna, nullus æſtus major, continua capitis vertigo, & gra-

vitas

vitas cum tremore, nausea perpetua & vomendi conatus, Universalisque inquietudo, (l) — Quò citiùs erumpunt cum symptomatibus vehementioribus (m) — Oculi nimis lucidi & sopor (n) — Si retrocedant. (o) Vesiculæ carbunculos quasi referentes (p) quò plures periculosiores & certam perniciem præsagientes. — aphtæ (q) Urina cruenta certum futuræ mortis præludium (r) — quemadmodum & violenta sangvinis per pulmones trajectio (s) hæc verò postrema in morbi progressu.

Bonum verò est, si tardiùs erumpunt (nisi defectio summa virium in causa sit) (t) faciem minùs obvelant. si prima febris remitti: (u) — Sangvis è naribus effluens (w) primis morbi diebus, sed raò in infantibus (x) — quametsi *Riverius Prax: Med: lib: XVII. Sect. 3. cap. 3.* aliter sentiat: defectus gravium symptomatum — Pustulæ colore

(l) *Huxam. fol.* 106. (m) *Sydh. §. Variol. confl. Huxam. fol.* 113. *& alij.* (n) *Tissot.* (o) *AA. cit. & praxis* (p) *Fischer. relat. de Variol. fol.* 88. (q) *idem fol.* 82. (r) *Huxam. fol.* 126. 7. *Sydhen: fol.* 229. (s) *idem.* (t) *AA. cit.* (u) *Sydh. & alij.* (w) *Fisch. fol.* 88. (x) *Tissot.* §. 208.

lore albo, figurâ rotunda, magnitudine mediocri, ſufficienter elevatæ (y) — Interdum enim notat *Huxam*: (z) ubi ſangvinis craſis diſsoluta, febris maligna & petechialis, nigræ lividæq; apparent maculæ, hemoragiæ accedunt & puſtulæ mox poſt eruptionem, nigræ gangrenoſæ & cruentæ fiunt, idquè ſæpiſsimè accidit quando Variolæ parvæ ſunt & diſcretæ. Atque ideò ad juſtam prognoſim inſtituendam, ſymptomatum omnium ratio habenda eſt.

Ex his facilè patet Variolas morbum eſse graviſsimũ, periculoſiſsimum & plurimum exitioſum. Variolæ diſcretæ longè minus periculoſæ ſunt quàm confluentes; attamen compertum eſt Epidemias morbi hujus tam benigni, quàm maligni jugulare 7mam partem ægrotorum. (aa) Quod ſi de confluentibus ſermo ſit? quantum diſcretum genus à confluentibus; tantum hæ à peſte diſtant. (bb)

Sed proximum eſt ut ad *Curationem* deveniamus. Antiquam Variolarum pertractationem hoc loci non ponam.

(y) *MM. SS. Cannuti* (z) *fol.* 107. (aa) *Tiſsot.* §. 202. (bb) *Sydh. de Variol: reg.*

ponam, præsentem enim opellam, longam nimis, tædiosam, atqué minùs utilem faceret; Recentiorum studia ad hanc rem spectantia breviter profe ram, tum quod ipsi, tum quod apud Veteres Authores utile invenerunt.

Porro intentio Medici ea esse debet, ut si quid in corpore videtur, quod febri magnæ vel mali moris producendæ aptum sit, vel eliminetur vel corrigatur; — ut febris intra debitos limites contineatur, videlicet ut nec nimis violenta, quæ salutare naturæ conamen turbet; nec nimis lenta sit, quæ subigendæ materiæ morbosæ & ad superficiem corporis protrudendæ non sufficiat. — materia ad optimam suppurationem deducatur — putrida labes, quæ febrim secundariam alit, avertatur — Symptomata mitigentur.

Atqué 1*mo*. de præparatione agendum est; quam quidē respectivè non absolutè, ut Scholæ loquuntur, instituendam esse moneo. Volunt AA. quam primùm signa Variolosæ febris apparuerint, ægrotos balneo temperatô * uti debere, ut sic emollitîs fibris, minor fiat impul-

* Fischerus. Brachic. Monro. Neruici.

impulsui materiæ morbificæ resistentia præpareturqué via, quò natura Variolosam materiam propellere consvevit. Hoc ijs, qui fibris duriusculîs temperationis siccæ sunt, apprime convenit, non verò illis qui langvidi, phlegmatici, obesi. Sed de balneo Universali aquæ dulcis infra dicetur, ubi de remedio rusticano sermo erit. Balnea particularia pedum præsertim, *Tissotio* (cc) – pedum, femorum, etsi eruptio non ritè procedat manuum, brachiorum, imo totius trunci *Huxamio* (dd) laudantur; quòd eruptio facilitetur, & majori humorum ad extremitatem facto accursu, caput quod principale est, liberetur. – Huc faciunt Clysteres, quibus si aliquid in intestinis hæret, eliminetur, unde & nauseæ & capitis dolori succurritur. * Vomitoria laudat ante accessum Variolarũ *Fischerus*. Purgantia ab omnibus fere damnantur: sola lenientia, si primæ viæ impuris humoribûs abundant, in usum vocantur. Si temperamentum plethoricum occurrat, Venæ sectio plurimum juvat ad impediendas sequelas inflammationis.

(cc) *Tissot.* §. 212. (dd) *Huxam. fol.* 115. * *fol.* 66. *Hofman. Sydh.* &c.

nis. Liberior aura antequam manifesta hujus morbi indicia se prodant, si temporata sit, conceditur. Quæ quidem præparatio, in toto illo tractu antequam Variolæ erumpant, convenientissima est.

Et venæ Sectio quidem, si cum febre majora symptomata urgeant inflammationis progressus testantia uti pulsus tensus, celeriter, tremens, calor ingens, respiratio calida & difficilis, oris oculorumq; rubor, capitis dolor acutus, oculorum inflammatio, arteriarum temporalium vehemens pulsatio, carotidum inflatio, in brachio primùm instituta, si iterum in pede fiat, generatim effectum præstat mirandum & exoptatum. (ee) – Hoc unico remedio contrariū effectū præstari sæpiùs lætamur. Præterquam quòd enim ægrum à diris incommodis sublevamus, sæpius eruptio, quæ ob pertubatum sangvinis motum & rapidam ejus circulationem impediebatur, faciliter & feliciter procedit: sæpiùs etiam impedimus, ne materia

(ee) Iidem fol. 113.

teria nondum ſubacta & præparata præ-
poſterè violenterqué projiciatur.

Nequé internis parcendum eſt, ut
nimium humorum fervorem compe-
ſcamus. Decoctiones Cichoreaceæ
Nitrata: Emulſiones ex ſem: frig: 4. ma-
jor: ex Amygd. dul: additô ſyrup.
Violarum *vel* pap. errat. optimè: præ-
ſcribuntur. Sinapiſmi plantis pedum
applicati ſi caput nimis occupetur, u-
tiles ſunt.

Abſit verò remediîs calidîs ſudo-
riferîs eruptionem matariæ ſolicitare
vel ægris ope ſtragulorum aut calori
externi vi ſudores provocare, ni
levem & benignum morbum, pericu-
loſiorem facere velimus. Quidquo
ne caput nimio foveatur calore, pl-
mata removenda; imo verò ſi plur-
mis pilis conſitum eſt, tondeantu
neceſſe. (ff) Meliùs enim eſt ſi ta-
dius, niſi virium defectu id fiat, quà
ſi maturè nimis puſtulæ projiciantu

Sed longè aliter agendũ eſt, ubi te-
peramentum debile & languidum, f-
bris lenta, deficiente congruo febri-
ſangvinis motu eruptionis retardati-
vel

(ff) *idem. fol.* 115.

vel hæc non ex voto ſuccedens cum puſtulis quaſi ſepultis, interiora magis occupantibus, quod raucedo, æſtus oris & dolor, ſternutatio, tuſsis, nariumqué obſtuctio declarat, ſi timor immoderatus, ſpirituumque dejectio comparent. Tantum enim abeſt ut ſuperiori methodo aliquid hìc proficiamus; quin potius major error committeretur, ſi quæ illi ſpeciei convenire diximꝰ, ad hanc traducereꝰ quàm ſi quæ pro iſta plurimum faciunt, ſuperiori applicaremus: cum longè minus periculoſum ſit vires fortes ſtimulare atqué turbare, quam debiles & languidas magìs opprimere.

Hìc naturæ ſuccurrendum eſt, excitandus motus, non ſupprimendus, quapropter corroborantia & leniter ſtimulantia imò fortiora quoq; ſi opus, magni ſunt uſus. Vinum purum parva aut majori quantitate datũ: vel ſolũ, vel cum Croco aut cum aliquo cardiaco & nervino medicamento mixtum: vel ſerô lactis, vel aquâ temperatum, atqué per intervalla exhibitum; Mixturæ analapticæ, eggregiè viribus ſuc-

currunt. Grana Cochiniliæ *Listero*(gg pulvis viperinus *Fischero* (hh sinapismi imò Vesicantia plurimi commendata, negotium optime absolvunt. Quid quod in hoc lento & languescente statu, quando pustulæ haud ordinatim erumpunt, cum exigua vel nulla elevatione & colore quasi sepultæ in cute jacent, leni remedio vomitum, quem fere semper hoc in morbo sponte molitur natura, procurare *Huxamius* Author est (ii) & singulare remedium probat; quo quidem perspirationem per cutim, sudores & pustulas expelli testatur.

Quodsi febris de malignarum genere sit, si petechiîs variolæ intersepiantur, si dissolutio humorum appareat, nequé sanguinis missioni, nequé stimulantibus indulgendum, sed remedia, diluentia infusa Theiformia præsertim flor. sambuci; Alexipharmaca, utì radix scorzoneræ, Contrajervæ; cornu Cervi copiosiùs assumptum, imò Cortex ipse Peruvianus plus aliquando facit, quàm speraretur: Acida tam vegetabilia; uti succi acidi Citri, berberum, ribesiorum, Cerasorum acidorum

(gg) *rel. de. var.* (hh) relat de Var. (ii) fol: 119.

rum, granatorum &c: ſaccaro modico edulcorata: quàm Mineralia; ut liquor Anodynus Miner: ſpir. Nitr. bezoard; Spir. Nitr. dulc. &c: optimè conveniunt; imô & Veſicatoria ſuum locum habere poſsunt: quanquam in cryſtallini, & crudis Variolis acida ſupradicta nihil profuiſse, profuiſse in parvis, nigris, confluentibus cum petechiis conjunctis *Huxam.* teſtetur (kk) — Nihil autem utiliùs in cryſtallinis, quàm Tinctura corticis Alexipharmaca: (ll) ſi aliqua remiſſio appareat, Cortex in ſubſtant: ad. ʒ. i (mm)

Prudentis autem Medici eſt ea ſeligere, quæ à Viribus ægri, quæ à morbi genio, quæ ab opportunitate agendi indicantur, ut non morbo tantùm, ſed morbo & ægro medeatur.

Non parvum perſæpe periculum pendet à retrocesſione Variolarum: ſi qtrando, cunctatio hìc nocet plurimum, quare diluentia, decoct. Samb. hyſsop. cum melle, lenes frictiones, balnea, cataplaſmata, quibus cum fru-

(kk) *fol:* 126. (ll) *Idem* (mm) *Morton. Mead. Monro: certè per ultimas Obſervationes ſummè corroborans & putredini reſiſtit: Praxis. Cl. Pringle in Experiment.*

ctu ſæpius adduntur Cantharides præ-
ſto ſint, neceſſe. Accidit aliquando
quòd Venæ ſectio indicata illicò re-
ſtiuerit eruptionem.

Raró verò diſcretum genus, niſi
malignitatis notas conjunctas habeat,
qúod non ita obvium, tam magnîs tam-
que multîs indiget remediîs, Perſæ-
pe provida natura opus totum abſol-
vit, ſi tantillum juvetur; ſed aliter
res ſe habet in confluentibus.

Et jam quæ pro expurgandis pri-
mis viis, pro moderanda febre, pro
corrigendis humoribus facerent, ex-
poſuimus; ſupereſt ut ea quæ ſuppura-
tionem promovent, acrimoniam no-
vam infringunt vel eliminant, ſym-
ptomata compeſcunt, proximè per-
ſcrutemur.

Et primò quidem febre mitigata
uſum lactis dulcis cum modico ſaccari
decocti per ſe, vel cum infuſis Thei-
formibus e. g. ſambuci AA. laudant
(nn) aut plane cum tenui decocto fa-
barum coffeè. (oo) Lavationes etiam
vel in aq: tepid. vel in ſero lactis, vel

quod

(nn) *Tiſsotius* §212 *Haënius* l*c*. *Fiſcherus*. *fol*.54.
(oo) *idem ibidem*

quod præstantius in lacte dulci tripla aq: quantitate diluto (de quo infra fusiùs dicetur) *Fischerus* utilissimas proponit. Utrumq; enim præsidium faciliori elevationi, maturationiq; Variolarum prodesse ratio evincit, experientia tantorum Virorum probat.

Suppuratio enim supponit non tantùm putridam humorum acrimoniam, sed etiam solutionem corruptionemque extremitatum vasorum (pp). omne verò id quod relaxat, potest generaliter disponere ad corruptionem (qq) Cùm verò quod ita desideravit *Magnus Boberavius*, naturæ illud conamen, quò materiam suppurationis capacem ad superficiem corporis demandat, divertere & impedire non possumus, ut ipsam juvemus & faciliorem reddamus necesse, quid verò feliciùs balneis tepidîs, cutis tensionē, dolores, vigiliasqué hinc profluentes levet, quid emollitis fibrîs suppuratione meliùs promoveat, certè non video.

Febre suppuratoria supervenien-
te,

(pp) *Pringle ad Exper.* 17. & 17 & *commun. omn.*
(qq) *Idem cap.* 3. *de nat. caus. febr. bilios.*

te, clyteres opportunissimi sunt, ae temperatus, abstinentia à lecto, vel vires non ferant, lecti refectio.

Interdum non nulli præeunte *Immortali Sydbenamió* potiones papaveraceas, anodyna, Opiata præscribunt u natura quietiùs negotium suum perficiat, & quia ad sustinendam salivationem præ cæteris quibusdam facian (rr) præsertim in crisi aut versùs ean (ss). *Tissotius* verò abstinet, & nil in casibus urgentibus ea parca man administrat.

Et cùm de salivatione sermo incidit, ea occasione de symptomatibus quædam notabimus. Salivatio enim in confluentium præsertim genere, atque diarhæa: faciei manuumq; intumescentia morbi hujus effectus sunt adeo proprii, ut naturam quasi ejus induere videantur.

Salivatio cum eruptione incipit, provide à natura instituta tanquam Criticæ evacuationis supplementum, quæ si ritè procedat feliciores omnino ab ea res ægri dependent. Dies remissionis ejus, undecimus plerumque occur-

(rr) *de Var. reg, fol.* 28. (ss) *Huxam- fol.* 131.

occurrit: abſit autem ut omnino tunc ſe ſubducat. Tumoris enim faciei, eô ipsô fere die decedentis, niſi ſalivatio protracta, vel manuum major intumeſcentia defectum ſuppleat, fore ut; æger periclitetur.

Salivationem promovet Cereviſia tenuis, vel liquor alius temperatus neque videlicet refrigerans, neque calefaciens (tt) hydromel (uu) infuſum flor: ſamb. & regimen temperatum Mirum autem eſt, (ww) quod ptyaliſmus ope Mercurii excitatus calore promoveatur, criticus verò hic in Variolis, intenso calore turbetur & non niſi ſub temperato & ad frigidū vergente optime procedat. - Narcotica in adultis (xx)

Cùm verò ſalivatio imminuitur & viſcida, craſsa, glutinoſaq; evadit ſuffocationem minitans; gargariſmata ex vino pomaceo & melle (yy) vel ex vini aceto, aqua & melle; imò si fortiùs agendum ſit! ſal ammoniacū adjectum, vel ſinapi gargariſmatibus incoctum, laudantur.—Oximel ſquilli-

ti-

(tt) *Sydh* § *de ptyal.* (uu) *Tiſsot. de Var.* (ww) *Fiſcher*, § xv. *rel. de Var.* (xx) *Sydh*, (yy) *Huxam fol:* 133

ticum parca dosi exhibitum, optimum est, cum & attenuet, & vomitū moderatum promoveat. Vomitoria enim urgente casu *Sydhenamio & Huxamio* usu veniunt; ego verò oximeliti primas darem — Decoct: ex rad. Pyrethr: herb. Scord: Origan: fl: Samb. & sem: fænu græci cum aqua parat. & melle edulcor: *Fischero* usitatissima & nonnullis Vesicatoria.

Quemadmodum autem salivatio adultis, ita diarhæa infantibus familiaris. Hæc si bene procedat, religiosè servanda est: quod si cum ægri viribus depressis modum excesserit; non priùs tamen cohibenda, quàm una vel altera. Rhabarb. dosis præmissa fuerit; tunc certè decoct. leniter adstringens, vel si hæc non suffecerit, clysma cum Theriaca vel Diascordio, nimium vel temperet vel cohibeat fluxum necesse. Ut verò obiter sit dictum, diarhæa in discretis tantum mali, quantum hìc boni facit; quam cùm, æquè hic ac ibi damnosam esse autumando, imprudentes mulierculæ injustè sistunt, multa millia infantū (zz) fato adscribunt.

Manu-

(zz) F. Sydh. de Var: reg.

Manuum intumescentia, quæ posterior est, ut deficientem faciei juvet tumorem, diutiùs etiam protrahitur. Hæc si non ex voto succedat; cataplasm: - immissio manuum in aqu. tepid:— vel serum lactis ut supra, prosunt semper.

Mutatio linteaminum sub incrustatione perfecta, eggregiè facit: cùm verò desiccantur Variolæ primas vias purgare svadent AA ut perspirationis defectus suppleatur. Equidem, si parcior est perspiratio, oritur putredo, febris. (aaa)

At verò sunt & alia symptomata quæ non ita strictè juncta esse morbo videntur. Horum alia generali curationi suprapositæ obediunt, alia peculiaria remedia exposcunt.

Soporosis affectibus, synapismi, Vesicantia & excitantia superiùs nominata convenient: in phrenitide si Venæ sectionibus Cinnabarina & Camphorata jungantur optimum præstant effectum. Camphoram verò refrigerantibus uniri debere suadet *Celeb. Ma-*

di

[aaa] Boher: Instit med. §. 778.

dio(bbb) & cum *eo* *Recentiores* (ccc)- Coalitiò palpebrarum impeditur applicando sæpiùs de die lac humanum modico croci tinctum præsertim post somnum; quod si expectationi non satisfaciat, aqua ros, alb. modico croci tincta additô tantillo Camph: efficax est, quod remedij genus ad pustulas in ipso bulbo oculorum enatas commendatur. [ddd] sed aquam ros croco tinctam reprobat *Tissotius* (eee & aquam tepidam cùm lacte substituit. Tussiculæ-ardori faucium & gutturis subveniunt mucilagines extracta ex Sem: Malv. Altheæ, Cidoniorum itemq; aquæ destill. flor. papav. Rhe-ad. aut Viol. cum syrup. Altheæ & diamoron. cachleatim assumptæ (fff)- Jnfusum flor: samb: in junioribus temperatè colidè assumptum; illud ipsum additô tantillô semin: fænu græci modò per syringam injectum, modò gargarismatis locô adhibitum in adultis optimè proficit (ggg) Methodus hæc ad similes affectiones benè tra-

duci

[bbb] *Monita & Prac: Pract. fol.* 19. [ccc] *Joan: Pirchin dissert. de Camph.* (ddd) *Fisch: fol* 92. (eee] *§.* 215. [fff] *MM. SS. Cannusi.* (ggg) *Fisch: fol.* 94.

duci poteſt ——————— De Mictu & ſputo ſanguineo, jam ſupra dictum eſt,

Sed quod præcipuum & efficaciſſimum, per multos verò retrò annos neglectum eſt, ut puſtulæ ad debitam maturitatem productæ ſcalpellô vel forſicibus acuminatis, non in facie tantùm ad defendendam eandem à cicatricibus, ſed in toto corpore; non ſemel tantum ſed iterum, atqué iterum: non tantùm bene ſuppuratæ, ſed ichorofæ, lymphaticæ & veſiculares etiam (hhh) aperiantur.

Equidem: hac methodo præcavetur puris ſtagnatio, quod acrimonia ſuâ ſuppoſitas partes erodit, & cicatrices deformes relinquit: Permittitur liber exitus veneno, indequé ſubtrahitur occaſio ne pro parte reſorbeatur in vasa, quod febrem, quod cætera excitat ſymptomata Tollitur tenſio cutis, tumor, preſsio, dolorqué, & hinc refluxus ſanguinis à capite facilitatur.

Sed jam ad *Diætam* trânſeamus: Regimen temperatum in hoc morbo commendatiſſimum. Carnes, ova, vinumq; in genere proſcribuntur. Carnis

(hhh) *AA. RR. & praxis*

nis usus post secundam purgationem quæ desiccatîs pustulîs instituitur, Tissotio conceditur (iii) Vinum quando conveniat superiùs declaratum est. Jn Universum victus vegetabil. decto hordei, aven. herbar. panatella lactisqué usus plurimùm laudantur.

Verū de variolis in genere haud plura, sequitur ut de *Remedio rusticano* ex duplici fonte, petito atqué de *Inoculatione* quædam breviter subjungamus.

§. Imus.

Modum curandi Variolas per balneum aqu. dulc. &c. tum de usu lactis interno in Variolis regulas complectitur.

BAlnea antiquissimîs temporibûs apud omnes fere gentes cùm ad munditem vigoremqué corporum conservandum, sordesqué abluendas (a) tum ad varios morbos debellandos (b) maximo in usu fuisse, dubitat nemo

[a] *Vegetius l. 1. de re mil: Homer. odyss: x.*
(b] *Arendel. disser. de Baln: Vet. §. XII.*

mo. Balnea hæc ad Variolarum curationem traducta, Arabibusq; quibus descriptio Variolarum primæva tribuitur, contrarium tamen evincente Clmô Viro *Habnio*, plurimùm commend ta fuisse, *Freindius* testatur. (c)

Sed nescio qua de causa methodus hæc, nisi fortè quòd simplex sit, è foro medico ablegata est, cùm eo ipso quòd simplicissima, facillima & utilissima, atqué ad naturæ institutũ propiùs accedens, majore honore excipi merebatur. Excessit tamen iniquo jure damnata, migravit, & inter rusticanam gentem, ingenuos illos naturæ sectatores se recepit.

Rectissimè & sapientissimè Divus ille senex *Hippocrates* fidissimus aliàs Naturæ Minister Medicos monuerat (d) ut etiam à plebeis sciscitarentur, si quid ad curationem utile esset. Explevit eggregiè hoc Magistri præceptum Clm. Vir *Fischerus*, qui cùm de Plebeja Variolarum pertractione apud *Arvenses* populos solemni nuntium accepisset, eandemqué feliciter institui

&

(c] *Hist. Medic: p. 275 Rhasis præsertim imo & Avicenn. Disser Fisch. comm. de remed. Rustic: for.*

(d) *ibi de precept.*

& audiſset:&vidiſset methodũhanc trẽmulo quidẽ primò pede,poſtea verò audacter ſecutus votisquè reſpondentem demirans, publici juris fecit, (e) & tanquam utiliſsimam commendavit.

Arvenſium methodus antiquiſsima adeò, ut nulla Inſtitutoris, nulla temporis felicis illius inventi memoria habeatur: ab Avis & Atavis porrectam ſibi ajunt, conſtanter ad hæc usquè tempora uſuvenire; in reliquo tantò majori excuſatione digni, quanto à Literarum commercio ſunt remotiores, Methodus verò huc redit:

„ Durante Epidemica Variolarũ conſtitutione ſimulac infantes prodromos hujus mali ſentire incipiunt, pauloquè majorem in illis quâm naturalis eſse conſvevit (f) calorem obſervant, balneô aquæ dulcis temperatè calido ægrotos committunt, & poſt dimidiæ circiter horæ decurſum ex eo eximunt, mantilibûs ad ignem calefactîs involvunt, deinde quieti ad ſtramen lecti deportant. Reiteratur hoc modo balneum bis per diem & ante & poſt eruptionem Variolarum, quæ ordi-

(e) *lib. de Rem: Ruſt.* (f] 100. *grad. Therm: Feyhen. juxta; Cl. Pringle in Exper. l. morb. Caſtrens.*

dinariè poſt ſecundum adhibitum balneum contingit; continuatur idem illud ad maturationis usqué tempus bis per diem eadem ratione ultra vel infra dimidium horæ ſingulis vicibûs ægrotos in balneo detinendo.

„ Quando ad maturationis tempus perveniunt Variolæ, quod potiſſimum fit tertio poſt eruptionem die, tùnc quidem eodem modo & toties balneum in uſum vocatur; ſed locô aquæ dulcis aſsumùnt ſerùm lactis, in quê hujus defectu lac dulce, cum æquali quantitate aquæ permixtum, ſic ad maturationem deveniunt variolæ citiſsime, ita ùt quarto die decidant abſqué cicatricum reliquiis, aut eruptione abceſsuum quorundam in muſculoſis corporis partibus „.

„ Hac obſervata methodo curandi, nec calor multùm affligit, nec alia Symptomata periculoſiora utì ſopor diarhæa &c: eveniunt; nec Epilepſia, aut deliria anxia aut furioſa ægros invadunt, ſed placidè decurrunt omnia, ita, ut ne remediô quidem internô unquam indigeant, aut eodem utantur; nullus etiam unquam invadit catharrus ſuffocativus decidentibus jam Variolis „.

Reg.

— „ Regimen quod attinet temperati illud non tamen strictum institui observavit supracitatus Author. Arcebant enim frigus post balneum involvendo Variolosos linteaminibus ad ignem, elapso verò dimidiæ horæ spatiô modo citius modo tardiùs evolvunt illos & vix linteô tectos liberiori exponunt âëri, prout quies vel inquietudo illorum id postulaverit. Duriori asſveti victûs rationi Parentes & suos huic asſvefacere intendunt. Lac ergo illis exhibent & crudum & coctum, & dulce & acidum pro cibo, aut pulmenta farinacea illis qui jam è mamis nullū ampliùs capiunt nutrimentum „ —

— Hac ipsa methodo usus est in Comitatu Scepusiensi Clus *Fischerus* regimine nonnisi meliùs instituto, & cautelîs quibusdam adjectîs. Principium balnei instituendi ut supra, — Pro cibo: juscula Carnium, ova sorbilia, carnes pullorum gallina eorum, columbarum, & aliorū volatilium, cancri fluviatiles, exceptis reliquis piscibus; Locô potus ordinarii infusum herbæ Tne. flor. Samb. eaqué fere

sem-

ſemper temperatè calida. Sed ut obiter moneam contrá ejusmodi victûs rationem in morbis acutis, inflammatoriis, imó cùm proxima diſpoſitio ad eosdem habetur, Univerſa Schola Recentiorum, vel ipſorum exemplô Veterum & clamat & conſurgit. *

Cautelæ verò ſequentes erant: Ne toto illo tempore aliqua mutatio regiminis dicti ſuſcipitur.—Calefacientia omnia damnantur —Bálneũ ut temperatum fiat. — Ne ſtomachus cibis oneretur (— Variolis erumpentibus & ſuppurantibus lac cum modico ſaccaro decoctum ſæpius præbeatur, usque ad tempus deſiccationis, quo tempore ova ſorbilia ſumenda neceſſarió veniunt (quæ ſit tam ſtricta neceſsitas? ubi longè plura alia ſuppetunt, non video) — Varioloſis durante febre temperantia remedia convenienter exhibenda ſunt.

Adveniente febre, injungebatur uſus balnei ex aqu. dulc: parati quæ calore parum ſuperabat lac recenter ex uberibus vacc: emulctum & primum quidem per dimidium horæ. —

* conferantur hæc cum diæta eorum qui inoculationi ſe ſubjecerunt ubi de Modo. ---

Tempus balneationis ſucceſsivè ad u nam & dimidiam horam extendeba tur — binis vicibus per diem — ho ris matutinis & ſi fieri poterat illic poſt primũ ſomnum ſemel — poſt me ridiem verò 4. horis poſt ſumptum ali quem Cibum – hocqué eousq; donec Variolæ ad juſtam pervenirent magni tudinem – Matureſcentibus Variolis locô aqu: dulc. ſerum: lact: recentis & in hujus defectu lac bubulum recen ter emulctum, & cum duplicata quán tilitate aqu. dulc. remixtum pro la vatione ſive balneo aſsumebatur, usq ad plenariam deſiccationem.

Modus inſidendi in balneum pr ſatione ætatis & virium diverſus. ve decumbendo — vel ſedendo – corpo ris tamen pars extra aquam prominen madefactîs quadruplicatîs mãtilibus o volvitur, ac aquâ aut ſerô calido ſa piùs perfunditur – facies verò ſpon giâ aquâ vel ſerô repleta, continu fere, ſed leviter abſtergitur.

Potus in balneo primis morbi d ebus infus. temper. flor, Samb. ſacc ro alb: edulcoratum — Erumpentib Variolis idem infus. cum lacte dulc

Ex-

— Extra balneum elapsâ hora una vel altera aquâ fontanna temperata calore manuum aut cubiculi, parca quantitate sed reiteratîs vicibus ad extinguendam sitim permittebatur. —Apparentibus pustulis, & modicum sese elevantibus lac dulce cum modico saccari decoctum, temperatè calidum exhibebatur; vel infuso Theiformi admiscebatur quandoqué & decoct: tenue fabarum Coffeæ cum lacte commixtum offerebatur.

Conveniatne usus lactis in febre Variolarum contra præceptum Hippocratis? (g) affirmat & explicat mentem Magistri Clm. Vir: (h) Jam Rhases ipsum commendaverat, [i) Recentiores plurimum probant. (k)

„ Maximé autem ejusdem utilitas sese comendat iis, qui convenienti tẽpore illud in usum vocare solent. — & nisi error committatur vel in regimine diæta vel in medicatione, vix unquam funestè decurrunt, aut vestigia morbosa relinquunt. —

„ Variolæ sessiles vel ad subsidentiam inclinantes sub lactis usu ordina-

(g) *Sect. V. aph. 64.* [h] *fol. 122. 3.* (i) *Hahnius l c. §. LXXI.* (k) *idem & Tiss.*

dinariè elevabantur, materia sufficiente replebantur, & ægri qui antea debiles, viribusq; destituti offendebantur pristinum suum vigorem facilè recuperabant. Hæc breviter de plebejo externo & interno remedio: plura in Amplissima Dissertatione & Observation:, Doctissimi *Fischeri* videre licet.

§. 2dus.

Inoculationis negotium Complectens.

NUllum inventum tot tantosqué Patronos & Adversarios habuit habetqué ac Inoculatio: illud omnino admiratione dignum, quòd doctissimi hujus sæculi Viri inter se non conveniant, adeò: ut alii divinum donum & summæ providentiæ opus; suspiciosum & exitiosum, alii auxilium pronuntiare non dubitaverint. Praxim singuli appellant; cui si quando certè in hoc æqué necessario ac difficili argumento, primas dare Medica Schola tenetur: felicissimam semper votisqué respondentem, observationibûs suis probant Fautores; multa infausta exempla in contrarium afferunt

runt

runt rei hujus Examinatores; tantæque sunt gravissimorum scriptorum differentiæ, ut si quis curiosus veritatis; utilitatisque ad salutem hominum facientis investigator, eos adiverit, dubius magis, magis confusus, & inscius recedat, necesse.

Exponam tamen præcipuos Authorum sensus: & Insitionis Variolarum originem, progressum, modum, tempus, cautelas, regimen, ac emolumentum: tum ea quæ in contrarium dicta sunt, paucis attingam.

Omnes fere conveniunt, originem Insitionis Variolarum, deberi genti Circassiæ, Tartariam prope mare Caspium inhabitanti. Rationum, momenta quibus movebantur dicti populi ad suscipiendum hoc auxilii genus amplissime exposuit DOMINUS VOLTAIRE. Ad duo tamen capita commode referri possunt, amorem Maternum & lucri turpis cupiditatem; primum quidem, ut vitam infantum à frequenti Variolarum exitiosarum influxu intactam servâssent, anxias; alterum ut venustati illæsæ filiarum, qua & servitutem redimunt, & rebus suis consulunt.

ſulunt, & primis Principibus placent, proſpexiſsent, audaces fecit: (a) – Circaſsienſes populi pauperes ſunt, & eorum filiæ rariore forma exteriori donantur. Super hac venuſtate corporis Circaſsienſium cum finitimis, principale commercium habetur; qui cum de labore manuum Viles & otioſi nihil habeant; à natura cum pretio formæ repetunt omnia & omnia lucrantur, dum filiæ eorum æquè formoſæ ac pretioſæ principes Turcæ Perſiquè domus ſubintrant atqué ſalutant.

Variolas morbum eſse Univerſalem, contagioſum, & perſæpe lethalem nemo non novit: impatiens & omnibꝰ periculìs ſuperior Maternus amor cum imparia eſse remedia morbo vidiſset, cùm intempeſtivā filiorum mortem ſæpius luxiſsent; cùm educatas ad licentiam puellas deformari, cùm proventus Civium deficiente commercio imminui doluiſsent, inſolitū probavit remedii genus; pus ex benignis Variolis receptum facta inciſione, corpori ſano communicando. Eventus intentis reſpondit: Variolæ veræ ſecutæ ſunt

(a) *leg. Cl. Lunad. de rat. Voltaire Lib.* del metodo d' inneſtare *fol.* I. I 12.

ſunt & bonæ notæ habebantur: ſatisqué fuit, ut omnes hanc methodum ſectarentur, quam felix ſuccesſus commendavit; illud enim vulgo commune, ut quod in uno feliciter inſtitutum vident, id ea felicitate ad alîos traduci posſe exiſtiment.

Antiquitas hujus inventi, memoriam illorum hominum longè exſuperat, & quæ de incentivis inventi dicta ſunt, cùm nihil hac de re literis proditum ſit, ea conjectari placuit.

De Venuſtate Circaſsienſium ac Georgicarum confirmant Itineratores. *de la Matrayre* quò per Circaſsios Montes prope mare Caſsicum magìs penetraret, eò formoſiores ſe fæminas conſpexiſse cauſámqué expiſcatum didiciſse, quod id uni deberetur Inoculationi. Non deſunt tamen qui contrarium ſentiant. (b) — Georgicas fæminas quòd attinet (c) dicit Vir. Cl. certè ipſas nos veneres viſuros Authorum fide arbitrati, invenimus illas quibus-cum nobis agendum erat haud inamænas quidem ſed minimè pulchras — ut

nequé

(b) *Celeb. & ad ampliandam Medic: natus Haenius T. 2. Rat. med. c. 3. de Var.* (c) *Eruditiſs. & exactiſs. Turnefort. Voi. du Levant. Epiſt. 18.*

nequé etiam fæminas Civicas, ut meritissimo jure concludam id asseri posse, quòd Historici peregrinatores suum ludere ac fallere Lectorem voluerint Georgicarum jactantes venustatem. RR. PP. Capuccini una nobiscum sentiebant, potiùs, quàm peregrini scriptores rerum gnari, ut qui easdem fæminas, ut sordido fuco, quo facies sibi suas illinirent abstinere vellent. longo jam tempore in cassum hortati essent. Hæc obiter, nunc ad progressum.

Antiquum hunc Circassiorum morem .mulier quædam Tessala exul ex Patria & Constantinopolī se recipiens, instituit, promovit, introduxit. Novum & inauditū hoc auxilii genus æqué faustum ac desideratum omnium oculos in se convertit, cumqué Illustrissima Comes *Vortlei Montaigu* Magni Nuntii Britaniæ Consors omnium animîs Superior Matrona Filium suum inoculationi subjecisset, & à morbi malignitate & à fædis cicatricibus quas Variolæ naturales relinquere solent liberum, ac deinde in optima sanitate constitutum vidisset; redux in sua methodumhanc traduxit, unde postea U-

uiver-

niversos fere Europæ populos aspexit. (d)

Modus Insitionis, Præparationem locum tempus & instrumentum respicit. Mulier Tesala cautam se circa varia hominum temperamenta gerebat — Robustis, calidis & plethoricis rarò nec sine timore insitionem instituebat — qui repletioris essent habitus,, ut corpus priùs expurgarent — qui fortioris compagis, hanc priùs debilitarent qui calidi nimis, ut moderatam acquirerent temperiem. Cachochymos verô & eos qui aliis morbis detinebantur, aggrediebatur sponte nunquam, pulchrè sanê monens, eos prius à suis morbis curandos, quàm ut de novo acquirendo sint soliciti — Non tantùm peracta operatione, sed plurimis ante illam diebûs omnem carnis cujuscunqué usum rigorosissimè negabat — Pro cibo decocta ex farinaceis & leguminosas herbas, — pro potu tenues ex hordeo ptisannas dabat: vini verò & omnium spirituosorũ haustum ut lethalem prohibebat.

Hanc *prædispositionem* corporum ad

(d) *leg. plena historia apuá Cl. Viros Antonium le-Duc. & Gvalter.* Harris,

ad Insitionem Variolarum tamquam pernecessariam & utilissimam esse plurimi Authorum probârunt & commendarunt. Recentissimi Inoculationis Fautores præparationem alii instituunt (e) alij nullam, (f) alii sub certis conditionibus eam admittunt (g) sed meo sensu qui mediam sententiam tuentur, illi securiori via incedere videntur; Quid enim refert purgare omnino sanos, vel sangvinem si justam copiam non excedat, minuere. Intentio Medici ea esse debet, ut justum humores inter & solida æquilibrium servetur, viresquè ad bene ferendum morbum sufficiant.

Tempus: & ætatem, & anni tempestatem complectitur: de ætate quæ ad Inoculationem suscipienda sit Authores inter se non conveniunt. Circassiæ mulieres, infantes sex mensiū Inoculationi subjiciunt. – alii annum quartum usquè ad septimum, alii 5. ad 10. alii 5. ad 7. opportunum credunt: multi etiam

(e) *Clmi Viri Dimsdal, Ingenhouz &c. commerc. Liter. Florent 1769.* (f) *Cl. Peverini in Lit. ad Cl. Lunadei 1751. Clar. Gatti L. Rifflesion. supra Inocul: &c.* (g) *Celeb Allen. Tissot. Lunadei &c.*

etiam ab anno 16. ad 24. & ab hoc ad 32. poſſe inſtitui operationẽ evincunt, abhinc verò non ampliùs. Vidi elapſo nuper menſe Inſitionem fieri Viennæ in nobiliſsimo quodam Juvene Polono ann; 20. cui etiam multorum filiorum Pater ſe ſubjiciebat. *Clmus Lunadei* credit non debere fieri operationem in infantibus, qui nondum compleverunt biennium vel unum, ſaltem annum ſemis. (h) Anni tempus neceſſitate ſic urgente quod vis huc facit, cùm ars ſupplere poſſit defectum; ſed ſi locus electioni datur, tempus vernale & Authumnale primas tenet.

Locus Inſitionis ſunt artus ſuperiores & inferiores. Circaſſiæ matronæ in brachio Inoculationem faciunt, Per multis placuerunt artus inferiores eò, quod ſint partes magís à corde remotæ; experientiâ tamen conſtitit; faciliùs perſanari ulcuſcula ab Inſitione facta in partibus ſuperioribus, quàm in inferioribus. Loca particularia ſeliguntur ea præſertim, in quibus ordinariò cauteria aperiuntur, quæqué à muſculoſis corporis partibus longiùs

diſtant:

(h) *L. del' metodo d' Inneſtare, fol.* 32.

diſtant. Vulnuſculum leve inſligitur, ex quo una vel altera ſangvinis guttula exeat, intra cutem & cuticulam; in uno, vel ambobus brachiis; in uno, vel pluribus locis; quemadmodum Viennæ videre mihi contigit. Aliis ſcalpellum, aliis acus inſtrumentum eſt: alii fila puri Varioloſo intincta ſectioni applicant; alii inſtrumento in ſua extremitate pure tincto partem pungunt, alii partem cooperiunt: alii præterea nihil faciunt. Quocunqué autem modô id fiat, Variolas ſequi certum eſt, & ut obiter moneam unica ſectio acu inſtituta plurimum laudatur. (i)

Cautelæ quæ religioſè obſervari debent, huc redeunt: Teſsala Mulier pus non ex quocunquè Varioloſo, ſed ex eo duntaxat, qui popularibus Variolis graſsantibûs correptus fuit, eliciebat — æger ex quo pus illud ſumitur, Variolîs quas diſtinctas appellant, non confluentibus laboret, opus eſt. (id certè omnes fere ſequuntur: quantumvis pure ex Variolis confluentibus accepto ad Inſitionem, Variolas tamen

(i) idem fol. 24.

tamen benignas ſecutas fuiſse *Cl. Perverini* teſtatur (k)) In Adultis non libenter operationem inſtituebat tum in iis qui aliis morbis tenebantur — Si graviora vexarent ſymptomata, nunquam inde excipiebat Varioloſum fomitem — pus eliciebat cùm Variolæ jam ad maturitatem ſeu ſuppurationem perveniſsent. — Cùm operatio peragitur cutim tranſverſim ſecandam eſſe monent AA. ne vulnuſculum adipoſam pertingat, tunicam muſculoſam feriat, unde ulcera ſinuoſa fiunt.

Quantumvis ſine ulla præparatione, nulloq; habito temperamentorum reſpectu *Cl. Lunadei* in plusquam 70. operationem feliciter inſtituerit, cautum ſe tamen in poſterum ad ſuſcipiendam Inſitionem futurum declarat in infantibus cruſta lacteâ laborantibus, lactantibus, diarhæa detentis, verminoſis, gracilibus, dentientibus vel proximis ad dentitionem.

Regimen quod attinet, illud partim ex præcedentibus, partem ex iis, quæ de Variolis naturalibus monuimus eruitur, tale enim hìc etiam ob-

ſervat

(k) *in Zid. ad Cl. Lunadei* (l) *idem fol.* 28.

servari svadent AA. — Antequam febris apparuerit, antiquo more ut vivant, consvetisq; cibîs bonæ notæ utantur, imò in libero àére si is temperatus fuerit, ut se contineant, commendatum est.

Quemadmodum autem abstinentia à carnibus, ovis, præsertim verò à Vino & Venere summè necessaria est, ita omnia illa quæ excalefaciunt interna & externa, non tantum durante morbo sed etiam post illum, nisi pertinaciæ & stultitiæ pænas aliquis lugere velit, ut ablegentur, necesse

Quantum valeat hæc methodus ad præcavendum tam exitiosum Variolarum naturalium eventum RR. Jnoculationis Patroni (m) amplisimé in Libris suis exposuerunt.

Majus verò pondus argumento huic adjiciunt Clarissimi in Arte Viri scriptis, doctrinâ celeberrimi *Huxamius* & *Tissotius*, Horum *primus* de funesto Variolarum Naturalium exitu scribens, hæc habet: Ab his illi (n) quibus Variolæ inoculatæ præcaventur

(m) *Clmi Condaminius Phil. Paris: Peverini Camassei Catti. Tralles, cæteriq; alij suprapositi, & centenni alij* (n) *fol. 112. diss. de Variol.*

tur & præcaveri debent, indequè hujus operationis optatus dependet succesſsus ——— — Cæterùm innumera proſtant exempla! quæ optatum hujus methodi evincunt ſuccesſsum & utilitatem, & licet quoq; adverſariis præjudicia contra hanc mota concedamus; Variolarum tamen via naturali obortarum periculum ad minimum decies, quàm in hac erit majus. *Alter* verò inter innumera rationum momenta pro Jnoculationis utilitate ſcriptîs expoſita, hæc ſubjungit: (o) ſolum medium ſecurum & efficax ad impediendum morbi hujus periculum eſt inoculatio. Clmus *Pellegrini* Commentator Libri ad hunc locum addit: Utinam (p) in dulcisſsima Noſtra Patria aliquando in uſum vocetur! Quid quod prima Regnorum capita Jnoculationi ſe ſubjecerunt, & felicitatem & utilitatem Jnventi probarunt.

Emolumenta quæ ab Inoculatione proficiſcuntur fuſè expoſuit *Cl. Lunadei*, quæ innuere ſufficiet — 1. quod ad hanc operationem ſeligatur ætas infantilis, quæ ad morbos inflamma-

to

(o) *de Var.* § 219. (o) *Publicus Profesſor Med. Dr, Veneijs. Comm. Libr. l' avvertim: al' populo.*

torios ob fibras laxiores, ſeroſorumqué humorum copiam non ita diſpoſita eſt, AA. conſenſu — quod nondum ea diſpoſitio habeatur integra. ut Variolæ naturaliter evolvantur — quod nulla methodus curandi naturales Variolas certa & ſecura ſit, ſed omnes in Univerſum controverſæ — quod remedia morbo paria, ætati infantili non conueniunt, vel ab ea reſpuuntur — quod poſt Inoculationem ſemper benignæ compareant, rarumq; ſit ſi quis ſuccumbat (q) ubi in naturalibus confluentibus Variolis ex centum vix unus ſalvatur (r) — illæſa forma exterior ſervatur — tempus anni quod magìs oportunum ſeligi poteſt, tempus ſanitatis &c.

At verò nullum eſt ex magnis remediis, quòd Variè jactatum non fuerit, Patronosqué æquè ac Adverſarios habuerit. Nonne & uſui balnei Ruſticani à *Clmo Nerucci* commendato, Ejusdem Univerſitatis Profeſsor *Cl. Capreſsi* (s) ſe oppoſuit? Ita actum de Inoculatione.

Si

(q) *Patroni Juraulas. Cl. Timoni Heiſter Evangeliſti Camaſsei & ſupra citat* [r] *Cl. Hoſtman:*
(s) *Senæ in Hetruria*

Si cæteri deefsent, ſunt autem plurimi, qui argumentum tam grave intactum reliquiſsent, ſufficeret Celeb: Solertiſsimusqué Vir *Haenius*, qui materiam hanc rigoroſiſſimo ſubjecit examini, probavit, difficultatesqué ſuas publici juris fecit. (t)

Difficultates has reſolvendas ſuſceperunt Clmi ac Doctiſsimi Viri *Condaminius* (u) *Tiſsotius* (w) *Tralles*. (x) & cæteri: quodſi omnes contrarios Authorum Clmorum ſenſus recenſere vellem, in longum nimis præſens opella excureret; adferam tamen præcipua:

1. Medicus ſalvâ conſcientia operationē hanc inſtituere nec poteſt, nec debet; cùm conſtet non omnes per illam ſalvari, ſed plures fato cedere — Catalogus 20. annorum quibûs inoculatio in flore fuit, demortuorum in Britannia ex variolis tam naturalibus, quam arte productis, ſuperat longè numerum demortuorum per 20. retrò annos ex Variolis naturalibus, ubi nulla adhuc

 Ino-

(t) *difficul. ſuper inocul. Viennæ* 1757. --- *refutation de l' Inoculation* 1760. --- *reſponſio* 1764. --- *Tom.* IX. X. X. II. *Curat.* (u) *præſertim Parte ij.* (w) *reſpons. ad difficult.* (x) *duplici ſcripto: ſerm: apolog. — argum: vexatiſs.*

inoculationis cognitio habebatur — Decem infelicia exempla partim demortuorum, partim in alios Cronicos morbos delapsorum à Cl: Viro in medium afferuntur, quæ omnia Inoculationi tribuenda esse existimat *Lib: rat. med.* — In Gallia iteratis experimentis patuit Inculationis incertitudo & pericula —— Senatus *Haganus* publicô edictô vetuit Inoculationem — superest alia methodus facillimè & felicissimè curandi Variolas; aliàs Petropoli (y) inter 116000. Cives 1764. decem modó homines à Variolis periisse, eò quod balneô vaporis cutem mollissimam & transpirabilem reddente utuntur quotidie — cæteris verò aliarum Nationum Civibus Urbis, qui ejusmodi balneô non utantur, observari variolarum eandem quã alibi lugent mortalitatem — Bene cessit etiam balneum Rusticanum Hungaricum, &c.

Si verò ego in tanta rei difficilis controversia sententiam meam aperire deberem, fateor me nullum ad illam operationem vel invitare vel solicitare

(y) *ex Cl. Profess. Petropol. Cl. Haen. Part: x. rat. med. fol. 315.*

citare vello, in eo verò qui se ultro offerret nequè voluntatem animumque vituperarem, neque officia mea subtraherem. Eventus aliqui infelices Universalis boni institutum infringere non debent : quod liceatne tuta conscientiâ aggredi? tot Collegia Theologorum Brasilien. Bononiens. Sorbon. affirmativè definiverunt, (z] Observationes demortuorum in Britannia maximum certè contra Inoculationem argumentum sunt. Quid vero? si id omnibus magnis præsidiis in Medicina commune sit, ut si inopportunè in usum vocentur, magìs noceant quàm prosint. Culpandum ne exinde auxilium? Quid quod hucusquè methodus hæc tantæ in Britannia existimationis habeatur, tantumquè incrementum accipiat? Sì supersunt alia feliciora & faciliora remedia (balneum intelligo) nonne hæc Inoculationi Variolarum accomodari possunt? Sed de Variolis, auxiliisquè ad rectam pertractationem earum pertinentibûs haud plura. Probent, scribant, judicent alii, quibus doctrina, quibus experientia, quibus Autho-

(z) Cl. fol. 102.

thoritas publicam apud homines famam conciliârunt.

Ego ſpem non vanam concipio, quòd ex Ultima Parte Operum Illuſtriſs: & Celeberrimi Viri: *L. B. Vanſvieten*, quàm primùm ea onus Typi excutiet, ad definiendum Inſitionis Variolarum negotium magnum lumen, Authoritas, pondusqué maximum accedet.

FINIS.

Ad M. DEI T. O. M. Gloriam.

Errores Lector benevolus corrigere digna-bitur.

B. 3. *fol.* 7. p. 2. versu 14. prænuntiat *leg.* prænuntiat.
B..4. *fol.* 8. p. 2. ad finem Typotius - *leg.* Tissotius.
Fol. 9. p. 2. versu 6. ffleuit - - *leg.* - effluit
Fol. 10 p. 1. vers. 18. remitti - - . *leg.* remittit.
Fol. 11. p. 1. ad finem Neruici. *leg.* Nerueci
Fol. 12. p. 1. vers. 3, temporata *leg.* temperata.
Fol. eodẽ p. 1. vers. 23. pertubatū *leg.* perturbatū
- p 2. vers. 13. matariæ *leg.* materiæ
Fol. 13. p. 1. vers. 5. obstuctio *leg.* obstructio
- - vers ult. analapticæ *leg.* analepticæ.
Fol. 14. p, 2. vers. 4. st iuerit *leg.* stituerit
Fol. 17. p. 1. vers. ult: Madio *leg.* Meadius.
-- p. 2. vers. 18. eachleatim *leg.* cochleatim
- vers. 20. colide *leg.* calide
Fol. 18. p. 2. vers 5. dectot *leg.* decoct.
vers. 19. mundit em *leg.* munditiem
ad finem Arendel *leg.* Brendel.
Fol. 19. ad finem ibl. *leg.* libr.
p. 2. ad finem Thermi. Fer. *leg.* Therm. Far.
Fol. 21. p. 1. vers: 10. suscipitur *leg.* suscipiatur,
Fol. 27. p. 1. vers. 1. Per. *leg.* Pe
ad finem in Lid. *leg.* in lit. - - -
Fol. 28. p. 1. ad finem Veneiis *leg.* Venetijs
populo *leg.* popolo
p. 2. ad finem Jnnaular *leg.* Jnoculat. Hostman *leg.*
Hoffman.
Fol. 29. p. 1. v. 3. ad finem X. II. Curat *leg.* XII.
Rat. med.
p. 2. v. 8. Jneulationis *leg.* Jnoculationis
Fol. 30. p. 1. v. 8. Brasilien. *leg* Basilea.
ad finem cl. - - *leg.* Cl. Lunadei